



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Indictio, Acta & Decreta Synodi Diœcesanæ Paderbornensis

Diözese <Paderborn>

Nevhvsii, [1688]

Tit. VII. De Processionibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36013**



2. Ante omnia divinum Officium fiat statis horis tractim, integrè, distinctè, devotè & reverenter per eos ad quos spectat, observato tamen discrimine dierum solemnium à ferialibus.
3. Nemo sub Officio divino profanum quidpiam aut ab instituto alienum legat.
4. Deambulationes quoque nec non profana colloquia tempore divini Officii verita sint.
5. Proclamationes forenses & denunciationes quarumcunque venditionum vel rerum venalium etiam in templo fieri solitæ deinceps non fiant, nisi extra templum & Officio divino profus absoluto: tempore quo divinum officium peragitur, tabernæ non nisi pro viatoribus aperiuntur, neque aliquod genus Ludi publicè aut privatim instituatur.
6. Sub cultu divino à fabulis, risibus & alijs insolentijs omnino absteineatur.
7. Parochi summâ diligentia curent, ut Officium divinum debito tempore peragatur, ad Concionem diebus Dominicalibus & festivis habendam imploratâ præviè ope Spiritus Sancti, Lèctione librorum & meditatione diligenti sese disponant, ut auditores fructum ex auditione verbi divini reportent.

## T I T U L U S V I I

*De Processionibus.*

## I.

Cùm Episcopi Diæcesani sit indicere, quando & quâ viâ tam ordinariæ quàm extraordinariæ Processiones institui, dirigi, quasvè ad Ecclesias nominatim perducere debeant; Laicis autem quibuscunque etiam jure Civili Processiones publicas sine Ordinarij Diæcesani licentiâ & consensu imperare sit interdictum. Nos sanctionibus Apostolicis & sacræ Congregationis Cardinalium declarationibus in hærentes, omnibus & singulis Civitatis & Diæcesis nostræ Abbatibus, Præpositis, Archidiaconis, Pastoribus, Vicepastoribus, & quorumcunque Ordinum & Institutorum Prioribus, Guardianis, Rectoribus, & alijs quovis nomine nuncupatis Ecclesiarum Superioribus, etiam quovis Exemptionis à Diæcesanâ Jurisdictione privilegio munitis severissimis sub pœnis arbitrio nostro etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati imponendis, prohibemus, ne illorum quisquam ullam profus Processionem, supplicationem vel stationem in quacunque Diæcesis nostræ Urbe, Oppido, Pago, vel agro extra suæ Ecclesiæ seu Monasterij septa, foris, multò minùs peregrinationem cum Processione, seu Processionem cum peregrinatione unquam & usquam sine expressâ nostrâ nostrivè Vicarij in Spiritualibus Generalis licentiâ, indicare, instituere, dirigere, deducere seu obire audeat.

2. Omnes tamen prædicti quantumvis Exempti, tam Clerici Sæculares in Civitate vel Diæcesi nostrâ, qui beneficijs seu Officijs Ecclesiasticis gaudent, quàm Regulares quicunque ad publicas Processiones ordinarias vel extraordinarias ex quacunque causâ ordinariâ nostrâ auctoritate indictas vocati accedere debent, & contumaces pœnis arbitrarijs, alijsque Juris remedijs puniri possunt, ijs tamen exceptis, quos Sedes Apostolica excipit.

3. Cœterùm constat, quod Processiones per agros & campos peraguntur, ut populus Deum oret, quatenus segetes ac fruges terræ ab eo conserventur, verùm ut alia plurima ita & hic mos hominum malitiâ depravatus est, quod per occasionem talis deambulationis, quæ Deo placando erat instituta, pleraque scelera committantur, quamobrem omnes & singulos Parochos, Viceparochos & Ecclesiarum Superiores seriò admonemus ne vel minima ullis Commessionibus, Potationibus, alijsque lascivijs & insolentijs licentia relinquatur, & sicubi abusus tam altas radices egerunt, ut ager Dominicus non videatur repugnari posse, ad Nos nostrumvè Vicarium recurrant, ut opportunitatis remedijs ejusmodi abusus tollantur.

4. Sanctissimum utique Eucharistiæ Sacramentum piè & utiliter ad populi pietatem interdum in publicis processionibus ac supplicationibus, potissimum verò in Festo sanctissimi Corporis Christi, & per ejus octavam defertur, sed ne nimia frequentia debitam tanto Sacramento minuat reverentiam, rariùs extra prædicta tempora id fiat, & non nisi in arduis causis de licentiâ & consensu nostro nostrivè Vicarij in Spiritualibus Generalis.

5. Insu-



5. Insuper ad Processiones Corporis Christi decorandas juxta exemplum eorum, qui ingressum Dominicum in Hierosolymitam Urbem ramis & vestibus suis oblati honorarunt, omnes viæ & plateæ, per quas sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum portabitur, mundentur, arboribus, ramis, frondibus, floribus, herbis odoriferis, gramine sternantur, decenter ornentur Ecclesiæ & parietes viarum tapetibus, aulæis & sacris Imaginibus, non autem profanis & varijs figuris seu indignis ornamentis: & reliqua circa Processiones in Cærimoniali Episcoporum ac Rituali Romano seu Processionali, seu Pastoralis ad usum Romanum accommodato præscripta accuratissimè serventur.

9. In Processionibus Incolæ obligati erunt, vias mundare, ornare, obstacula remove, inobedientes à Magistratu cogendi sunt.

7. Deputentur item primarij aliquot viri, pro portandâ Umbellâ, sub quâ Sacerdos cum Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento Processionis ritu incedat. Quodcumque enim in publicis Processionibus Sacrosancta Eucharistia circumfertur, id nunquam posthac nisi sub Umbella fiat, quam Pastores seu Vicepastores in qualibet Ecclesiâ expensis fabricæ vel ex fidelium oblationibus quamprimum sibi comparent.

8. Quæ de Processionibus, supplicationibus & stationibus à Nobis decreta sunt, ea tantò Religiosius ab Ecclesiasticis personis omnibus sive sæcularibus, sive regularibus observentur, quantò reliquis Christianæ vitæ sanctioris professione altius eminent, ut in eos, tanquam in speculum, Laici oculos coniciant, ex ijsque sumant modestiæ ac pietatis exemplum, quod imitentur.

9. Quamobrem dum Processiones cum sanctissimo Sacramento vel sacris Reliquijs & Imaginibus deportatis habentur, nemo adulatorum, qui hujusmodi Processionibus intersunt, commestioni aut potui vacet antequam, peractâ cum timore Dei pijsque precibus Processione, singuli ad domos suas revertantur, ac ne tum quidem commestationibus & Symposijs indulgeant, sed cibum parçè cum gratiarum actione sumant, ne gratiâ divinâ, quam in sacris Processionibus ambiunt homines, spolientur.

10. Curent quoque Magistratum sæcularem imminente Processionis vel supplicationis die tempestivè præmoneri, si qua in re Officium ejus desideretur, vel ad cohibendam, vel coercendam impiorum insolentiam, vel ad impediendum, ne in viâ quâ procedendum erit esculenta aut poculenta, quasi nundinarum & mercatus tempore, exponantur & vendantur, vel ad removenda quæcunque alia quæ ad excitandam veram pieratem nihil faciunt, sed potius ad vanitates animos relaxant, & à sanctis cogitationibus avocant.

11. Quibuscunque malis moribus, abusibus & corruptelis in Processionibus, supplicationibus & stationibus exoriri solitis, pro Officij nostri debito mederi cupientes omnibus ac singulis Civitatis ac Diœcesis nostræ Pastoribus, Vicepastoribus & verbi Dei Præconibus, tam sæcularibus, quàm Regularibus districtè præcipimus, ut Dominico die Festum S. Marci ac triduum Rogationum, quo statæ Processiones majores & minores Litanias decantando juxta pium & laudabilem Ecclesiæ morem servari consueverunt, nec non Festum Corporis Christi, & aliud, quo habenda erit solennis Processio, supplicatio seu statio, ipsum Processionis, supplicationis seu stationis diem proximè antecedente, causam Processionis, supplicationis vel stationis ejusmodi populo disertè exponant, erroresque & abusus in eâ cavendos graviter inculcent, nec non seriò exhortentur Christi fideles, ut omnes ad profitendam fidem suam, ad celebranda Crucis Christi Mysteria, ad honorandum nomen Dei, & ad precandum pro necessitatibus Ecclesiæ Reiq; publicæ conservatione magnâ pietate animorumque concordia sub vexillo Crucis Christi conveniant, atque nominatim ab abusibus & vitijs in his nostris decretis & constitutionibus damnatis, à cursu, fabulis, risu, Jocis ac quavis aliâ levitate à Reverentiâ & Religione alienâ sibi temperent, sed potiùs pijs Orationibus, Litaniarum aliarumque precum cantui & recitationi & Mysteriorum, quæ in Processionibus, supplicationibus & stationibus peraguntur, meditationi intenti ex profundo intimoque corde divinam implorent misericordiam, ut nemini dantes ullam offensionem vituperationibus obloquentium non sint obnoxij.

12. Omnibus Pastoribus, Vicepastoribus, Concionatoribus & Catechistis, alijsque Processionum ac supplicationum præfectis & moderatoribus seriò mandamus, ut populum & supplicantium cœtum admoneant, quod licet per eas Ecclesias, in quibus divina decantantur, Processionis



cessionis aut supplicationis rituum silentio modestiâque sine cantu & strepitu transire, ibique preces fundere possint, si tamen in eisdem Concio, Catechesis vel exhortatio alia habeantur, quoad fieri potest, ab earum ingressu abstineant.

13. Cùm porò Ecclesiæ Catholicæ decus non solum in Processionibus, supplicationibus & stationibus ritè & rectè ac secundum Ordinem superius à Nobis præscriptum adornatis, verùm etiam respondentibus his Officijs divinis atque Ecclesiasticis functionibus maximè eluceat, earumque gravi actione populi pietas foveatur augeaturque; idè quæcunque his contraria, nugas, levitates & abusus si quæ quovis nomine in ullam Civitatis & Diocesis nostræ Ecclesiam irreperunt abolemus.

## T I T U L U S VIII.

### De Templis.

#### I.

Cùm Ecclesiæ divino cultui dicatæ domus dicantur Orationis, easque propterea omnis Sanctitas deceat atque reverentia, meritò de ipsis quoque tanquam loco earum propria, recta & sancta ordinamus.

2. Notum est, non exiguo ad devotionem incitamento esse, si domus Dei munda conservetur, altariaque pro diversitate temporum ritè exornentur, omnibus itaque feriò præcipimus, ut non tam propriæ habitationis quàm templi curam gerant, omni possibili modo ornatum illius quærant, ut Parochiani exteriorè munditiæ & ornatu ad puritatem internam majoremque devotionem magis magisque alliciantur.

3. In omnibus Ecclesijs ad minus summum Altare adaptetur, idque sic, ut lapis unus solidus tegat supernè totum Altare, quod si fieri nequeat, ponatur ut minimum lapis bipedalis in quadro, qui medium Altaris supra eum locum, in quo Reliquiæ sanctorum reconduntur, tegat, ponaturque semper Imago Christi Crucifixi in Altaris medio, sitque super illud tabula aliqua sacra piè depicta.

4. Non extruantur plura Altaria quàm commodè adornari possint, nec plura quàm tria in quolibet Parochiali rurali templo sine nostra auctoritate ædificentur.

5. Tametsi propter hostiles incursus, repentina incendia, aliosque casus inopinatos ad Ecclesias cum rebus suis confugere, non sit illicitum, ut nihilominus Ecclesiæ non solum nomine, sed verè domus Dei & Orationis censeantur, minimè eas suppellectili profanâ sic impleri volumus, ut domus potius sæcularium quàm Dei Basilicæ faciem referant.

6. Non parum irreverentiæ sacris locis ex eo accidere potest, quod quibusdam in locis per totum diem aperta relinquuntur, & hoc pacto non solum furum direptionibus, sed etiam varijs profanationum periculis exponantur, quod ne deinceps contingat, Pastoribus Ecclesiarum in pagis constitutarum præcipimus, ut extra tempus divini Officij easdem claufas habeant.

7. Sicut non alijs, quàm Deo sacratis Sacerdotibus Missas cantare aut Sacrificium in Altari licet immolare, sic nec in alijs quàm divino cultui dicatis locis eadem facere fas est, nisi quis ad hoc speciali Privilegio, aut Apostolico aut nostro munitus fuerit, aut summa necessitas exegerit.

8. Hinc etiam si cuilibet domi suæ liceat habere privatam Orationis causâ oratorium, dummodo in eâ campana publicè exposita non pulsetur, non tamen ad sacrificium Missæ factitandum, nisi sit ad divinum tantummodo cultum dedicatum & Episcopali nostrâ auctoritate designatum. Aliàs si quis in oratorijs intra privatos parietes constitutis, absque summi Pontificis nostroe consensu celebraret, gravi penâ punietur.

9. Quemadmodum ad offerendum Missæ sacrificium necessariò requiritur Altare Lapidem ab Episcopo consecratum, ita nullum Altare consecratum absque legitima causa & expressa nostra licentia nec nisi certis precibus ac cærimonijs adhibitis destrui debet, quas hic pro majore cujusvis notitia libuit subungere.